



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

11. Dies Decemb. Descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

& in te favire: hoc enim est, per Christum ad Deum ire. Quia

*Cum surit, atque ferit: Deus olim parcere querit.*

## II. DIES DECEMB.

Descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram. *Augustinus l. 4. confess. c. 12.*

Christi in nos I. beneficia.

**Q**uomodo pervenias ad eum, qui est Vita: nisi per eum, qui est via? Per fidem Christi, imitando Christum, venimus ad Regnum Christi. Belle Hilarius: (a) *Non nos in erratica, atque in invia deducit ille, qui via est: neque illudit per falsa, qui Veritas est: neque in mortis relinquit errore, qui vita est.* Ecce hic quomodo per Christi misericordiam pervenimus ad ejus gloriam? Eramus ob nostra scelera execrabilia monstra, & spectra: per Christum facti sumus gratissimum caelo, & Deo spectaculum: Eramus in limine Averni: jam sumus in vertice Olympi: Eramus in faucibus tartarei draconis: jam sumus in Corde aeterni Patris: indigni eramus divinis oculis, jam digni sumus divinis amplexibus: eramus servi peccati, damnandi in ergastulo orci: jam sumus filii Dei, coronandi in Regno caeli. Altius non exaltavit Christi conjuncta cum Divinitate Humanitas, quam nos humiliaverat peccati nostri iniquitas. Acquievisset nostra miseria, si extraxisset nos a tartaro, & reliquisset nos miseros in hoc exilio: sed non quievit misericordia Christi, nisi nos extulisset super caelos, & in caelis super Angelos. Nimum fecisset, si nos filios

(a) *L. I. de Trin.*

ira, eximisset à pœnâ iræ, si nos reos gehennæ, reliquitet in miseris hujus vitæ: sed impetravit veniam culpæ, & vendicavit à reatu pœnæ. Plus quàm satis fuisset, si impetrasset delicti veniam: sed insuper conciliavit nobis quasi innocentibus Patris gratiam, & amicitiam, Stupendum fuisset, si impetrasset solam Patris benevolentiam, impetravit & ejus beneficentiam.

II. Quid potuit ultrà facere? quæ difficile est vel credere. Fuisset supra omnem fidem, si post tantum flagitiorum cumulum, obtinisset minimum, quod fingi potest, beneficium: obtinuit, ut ipsum Patris Regnum, esset nostrum domicilium: ut ejus gloria, esset nostra hæreditas, ut ejus vita, esset nostra immortalitas, ut ejus visio, esset nostra beatitudo. Nimium fecisset, si impetrasset hoc semel: sed impetravit, ut nobis daretur infinities, si toties perdidissemus, dum postea pœnitentes ad eum confugeremus. Denique, quidquid est Dei, impetravit pro nobis Homo-Deus. Vide igitur, unde te eripuit, & quod extulit? & vide, an non sic certaverit ejus Misericordia cum tua miseria? ut illa tantum hanc antecedit, quantum punctum temporis Æternitas, punctum loci Immensitas. Gratus est canis homini ob aliquot, quæ ei projicit ossa: & homo ingratus est Deo, post innumera, quæ illi contulit dona. Esset nê aliquis tam projectæ audaciæ, qui in vinculis captivus auderet vel optare, nedum orare, ut rex suus, pro eo liberando, è suo solio descenderet in carcerem, eum liberaturus. Quod nemo auderet optare, aut petere, hoc Rex gloriæ voluit pro te facere, dum pro nobis, quasi nocens est captus, ut fur, est vinctus, ut malefactor, percussus, ut reus, damnatus,

ut

ut latro occisus. Quis non deficeret præ stupore, si mundi totius Monarcha, vile mendicabulum, bubulcum, aut porcarium, reum mortis vel semel inviseret? Quid si proditorem suum? quid si pro illo reliqueret thronum, desereret Regnum, assumeret illius malefactoris statum, & abjecto diademate, ut alterum demitteret, maneret in carcere?

III. Quod credimus vix posse fieri, fide novimus esse factum. Satis fuisset mihi remisisse culpam, voluit pro me & amittere vitam: poterat ignoscere sedens ad dexteram Patris, voluit, ut ignosceret, descendere ad uterum Matris: vel hoc saltem fuisset plus quam satis, voluit inde ascendere ad patibulum Crucis. Hæccinè vana, an vera? hæccinè fabula, an fides? si veritas, ubi nostra charitas? si supra nostra merita, tanta voluit pro immeritis facere, cur non conamur, pro merito satisfacere? ô quàm deberet nobis gratus esse Jesus, per quem grati sumus Deo! quàm nobis amatus, per quem facti sumus Deo tam amabiles! ô quàm piè hîc Augustinus! *Descendit hûc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam de abundantia vite sue, & tonuit clamans ut redeamus hinc ad eum, in illud secretum, unde processit ad nos, veniens in ipsum primùm virginalem uterum, ubi ei nupsit humana Creatura, clamans dictis, factis, vitâ, morte, descensu, ascensu: clamans, ut redeamus ad eum.* Est quidem proverbium: *Sola miseria caret invidiâ;* at nostra miseria, etiam Angelorum digna est invidiâ, ut dici possit verè cum Ecclesia: *felix culpa, quæ talem meruit Redeptorem.* Ita enim reparata est nostra miseria, tantaque coronata est gloriâ, ut pars magna sit nostræ felicitatis, fuisse infelices.

Per

Per Christum enim successit nostræ miseriæ summa felicitas : ignominia gloria, paupertati opulentia, calamitati beatitudo, exitio salus. Nec fortassis unquam tam altè fuisset erecti, nisi priùs tam miserè fuisset prostrati. O felix casus, quem talis sequitur status! ut eum nanciscaris, ne doleas hîc te dolenda pati, cui aliquando dabitur Deo frui? Hoc non tam dicit, quàm prædicit Vates :

*Hic homo torquetur, ne perpetuò crucietur.*

## 12. DIES DECEMB.

Filius Dei non se exinanivit, amittens quod erat; sed accipiens, quod non erat. *S. Augustinus tractat. 17. in Joan.*

Christus, Deus  
& homo.

I, **F**ilius Dei, cum, quod erat, non amiserit, hoc est, naturam Dei; sed quod non erat, acceperit, hoc est, naturam hominis: liquet Christum simul fuisse Filium & Dei ante tempora, & hominis in tempore. Hujus rei veritatem probabunt SS. Patres, quorum testimonia, veritatis sunt oracula. Primus sit, cui debemus primum Ecclesiæ Doctorem, Augustinum, inquam, D. Ambrosius. (a) *Legimus Primogenitum Filium, legimus Unigenitum; Primogenitum, quia nemo ante ipsum; Unigenitum, quia nemo post ipsum.* (b) Et alibi. *In ipsa natura humana affectione Majestatem licet spectare Divinam; fatigatur ex itinere Jesus, ut fatigatos reficiat; Petit bibere, sicientibus potum spiritualem daturus; Esurit, cibum salutis esurientibus traditurus; Moritur, vivificaturus; sepelitur, resurrecturus; tremendo pendet in ligno confirmaturus*

Pars III.

R r r

tre-

(a) L. I. de fide c. 6. (b) Ibid. l. 5. c. 1.